



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

3. Solutio de potentia in sensu diuiso confutatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

necessitas operationis ex suppositione, quod esset, seu, quia est operatio, opponitur, & pugnat cum causa, & effectus ab illa oriundi libertate, ut Patres, scholastici omnes, & Anselmus aiebant cum d. 3. de scient. q. vlt. cum hic q. 3. estque lumine naturali rationis evidens. Siquidem tunc causa ex necessitate illa effectum operatur: quod naturalis causa, ut contra liberam diuiditur, proprium, & essentialis est. Sed posita praefata praefinitione consensus necessitas consensus voluntatis est necessitas, quae causa est voluntati consentiendi, facitque consensum esse, & fieri à voluntate: ergo pugnat, & contradicit cum voluntatis libertate. Haec omnia argumenta & de sese aperta sunt, & solutionum impugnationis vltiora persistunt.

4. Quinto argumentor ratione, quae omnes omnino aduersariorum euasiones, & solutiones praecipuat, ex statuto apud aduersarios (& si aliis omnibus falsissimo) principio ad efficaces de sese nostrorum actionum suadendas, nempe à principio, seu causa indifferenti non potest esse actio determinata, seu effectus determinatus prodire, quo posito eos percontor: an posita praefinitione maneat absolute potentia omittendi, ac proinde indifferens absolute potestas ad actum, & omissionem actus, nec ne? si non manet: ergo nullaratione, & solutione saluatur absoluta potestas voluntatis ad omittendum, neque absolute proinde potestas indifferens ad utrumvis, nec, quae in ea itat, voluntatis, ut huc vique contendebarus, & ostendimus: quare manere assertis, ne des manus aperte: sed tamen aliunde ex hoc responso, & tuo illo principio eas reuinciam hoc syllogismo in serio. *A principio absolute indifferenti nequit esse actio determinata, ac determinatus effectus. Sed per te voluntas, secundum quacumque rationem, est absolutum principium indifferens operationis, & effectus, atque omissionis eorum posita etiam praefinitione: ergo à voluntate, posita etiam praefinitione tua nequit esse actio, aut effectus determinatus: quod ipsum de progressu alterius determinate extremi oppositum, ad quod etiam voluntas est principium, & potentia absolute indifferens, nempe omissionis aut actus contrarij simili syllogismo infertur: quare, dum aliis, atque aliis solutionibus potentiam absolutam ad omissionem actus praefinit, & ad contrarium actum defendere aduersarij contendunt, & suo illo principio ad nullum extremum ex oppositis potentiam absolutam voluntatis ab illis relinqui conuincuntur. Adiungi posset contra omnes vniuersim aduersariorum solutiones, Sexto aliud argumentum efformatur ex altero aduersariorum principio ad suadendas suas humanarum actionum praefinitiones: scilicet eas poni oportere ad diuinæ de contingentibus scientiae Physicam, & Metaphysicam infallibilitatem, quae sine causa, quae medium eius scientiae est, determinatione ad effectum, & inevitabili à voluntate connexionem cum illo, nullatenus esse potest: & quamquam hoc multo ex capite controu. 2. d. 5. impugnatum: ex eo, nunc permissio, argumentor sic contra praesentem, & reliquas omnes eorum solutiones: quia medium Physicæ, & Metaphysicæ absolute infallibile illationis effectus ex causa omnem contingentiam separationis causae ab effectu, seu indifferentiam ad ipsum, vel eius oppositum absolute excludit: ergo vel praefinitio excludit absolute omnem contingentiam separationis voluntatis ab actu praefinito, & potestatem eius ad ipsum omittendum, ac subinde indifferentem eius ad utrumvis potestatem, ac libertatem, ut contendimus contra aduersarios; vel, si eam absolute non excludit nequit esse praefinitio actus simul cum voluntate medium, cui diuinæ contingentium futurorum scientiae infallibilitas absoluta Physica, & Metaphysica innotatur. Patet extremum hoc: quia infallibilitas absoluta Physica, & Metaphysica diuinæ scientiae in causa, quae medium est cognoscendi effectum omnem omnino contingentiam aliter essendi, seu non essendi ab illa causa effectum ab ea causa absolute excludit supponit, & importat: ergo, si posita praefinitione non excluditur absolute omnis contingentia omittendi effectum, sed manet in voluntate absoluta potestas illum omittendi, & indifferens ad utrumvis potentia, atque libertas, voluntas etiam cum praefinitione non est causa, cui tanquam medio diuinæ scientiae de actu contingentia praefinito infallibilitas possit innotare.*

CERTAMEN III.

Solutio de potentia in sensu diuiso confutatur.

1. Ad solutiones aduersariorum veniamus, quae eadem cum fatalism Philosopherum, ac Hæreticorum praedestinatorum, nouorumque praefinitorum nostrarum actionum à Deo è doctrina, & verborum conuenientia esse videntur, ut constat ex q. 3. & 4. & quatum à ratione impugnationes in hunc locum remissimus. Prodeat solutio illa, primum de impotentia voluntatis nostrae ad negationem consensus praefinito posita praefinitione in sensu composito, potentia autem eisdem ad eius negationem in sensu diuiso, quam potentiam in sensu diuiso satis ad voluntatis libertatem, & potestatem ad extremum oppositum consensui praefinito, & infallibiliter apponendum tuendam, ac subinde ad absolutam voluntatis nostrae indifferentiam, & indeterminatam ad utrumvis, seruandam, excludendamque solummodo oppositum consensui praefinito, in sensu etiam diuiso necessitatem, & determinationem ex nostra etiam doctrina conatur ostendere, in qua distinctionis eiusdem, & vsus nobis, & necessitas est, ut illam libertatem in nostris etiam principijs ostendamus. Etenim quantumvis indifferentia de sese principia voluntatis libertatem, & potestatem absolutam constituentia sunt, posito à voluntate consensui, illam in sensu composito eius negationem, vel dissensum oppositum ponere non posse certissimum est: cum consensus negatio consensui contradicat, ac proinde ac ipsam in sensu composito consensui apponendam, siue (quod idem est) coniungendam cum consensui nostrae, etiam in Deo, nedum in nobis, potentia esse potest: cum ad apponendam contradictionem aequè Chimærica, & impossibilis omnino potentia sit, atque impossibilis est ipsa contradictio. Ad apponendum vero cum consensui contrarium oppositum dissensum non nisi in eo, cui coniungendi contraria facultas est (in Deo nimirum) potentia esse potest: quare in nobis potestas ponendi dissensum in sensu composito consensus, nulla est omnino potestas; & tamen, quia nobis ad eum in sensu diuiso oppositi consensus ponendum facultas, & potestas adeit; adeit etiam nobis ponendi consensum, eiusue negationem, & vel dissensum absolutam libertas.

2. Sed certe, & si communis, & nobis, & aduersarij terminorum eius distinctionis vltus, adeo tamen dissensus est eius apud utroque sensus, ut citius oriens cum occidente in eundem locum possit conuenire; nec immerito proinde de Cabezudo, & hac distinctione ad has difficultates emolliendas vtriusque dixerit Illustriss. Mafrejas d. 2. de auxili. p. 3. n. 11. *Rem non capiunt, vel certe captores sunt, qui apertam veritatem volunt occultare, ne à sua discedant sententia.* Cum enim consensus voluntatis nullatenus ex parte se actus primi, & causae ad se ipsum teneat, sed potius sit voluntatis effectus: licet posito semel à voluntate neque ipse possit non esse, ac proinde eius negatio, aut dissensus oppositus in sensu composito illius esse nequeant: cum tamen in nostra sententia, à voluntate ex parte actus primi, tam de se, quam ex requisitis omnibus ad operandum indifferente, ac proinde non determinata, aut necessitata, vel de sese, vel ex requisitis ex parte actus primi ad operandum consensus procedat, indifferentiam, & libertatem voluntatis, ut causa in actu primo est, quam pro natura, & causalitatis priori supponit, & qua procedit, nequit destrui: nullus enim effectus suae causae, pro tempore, quo agit Physice (nec soli moraliter, ut dominium donarionem) destructivus esse potest: ac proinde voluntatis in actu primo libertas consensui effecto manet, & in sensu composito illius, & si eius negatio ex parte actus secundi posito sit absolute impossibilis, quia libertas voluntatis in actu prima ad utrumque simul ponendum usquam erat, sed ad ponendum vnum, vel abnendum. Id quod ex parte actus primi, ad quem actus secundus consentiendi trahi non potest, etiam cum consensui facto ponitur, persisteret: & si posito consensui in continuatione

actus primi voluntatis, & actus secundi consensus, non sit ad eius negationem, & dissentium apponendum potestas. At impossibilitas negationis consensus in sensu composito præfinitionis aduersarij ex parte causæ ad consensus antecedentis, imò & essentialiter requiritur ex parte actus primi ante omne voluntatis exercitium se tener, quam prædeterminat, & necessitat ad consensus infallibiliter futurum: quare in actu primo absoluta potentia ad negationem consensus, & dissentium, præfinitione potest posita, nullum manet: vt ad rationem potentie, & causæ liberæ requiri demonstrauimus: siquidem in eis circumstantiis, & suppositionibus ad agendum requisitis, in quibus effectus impossibilis est potentia ad ipsum esse non potest. Sicut ergo vltimæ distinctionis huius de sensu composito, & diuino saluandæ voluntatis libertati in nostris principiis vtilem, inuicem proflus aduersarij esse: Est siquidem argumentum, impotentia voluntatis ad omissionem consensus positi post exercitium liberæ potentie, & indifferentis ad ipsum ponendum, vel non ponendum, non impedit absolutam eius in actu primo potentiam ad ponendum vtumvis: ergo præfinitio consensus ex parte actus primi requisita, & posita omnino independentem ad exercitium liberam voluntatis prædeterminans, ac necessitans ad infallibiliter, & irresistibiliter apponendum consensus, atque ad apponendum eius negationem, & dissentium impossibilitans (vt sic loquitur) potentiam absolutam omittendi consensus, & apponendi dissentium cum consensus impossibiliter non impedit.

3. Ex his autem constat quo iure Magist. Ioannes Vincentius, Vicarius Generalis Dominicanorum, & Salmanticensis Professor eximus ob suorum abusum distinctionis huius in sensu composito. Et diuino dixit: eam distinctionem in hac parte leuissimam esse, & quæ tota consistat in verbis, vt quæst. 3. cert. 2. num. 8. referebatur & Caicran. 1. part. quæst. 2. art. 4. §. Ad hanc distinctionem intellectum non queritur. Et Henricus Villagus Primarius Complutensis Thomistas multa ea distinctione ex Logica profudisse, quæ mallet, inquit, iuxta Theologiam declarari, vt obscuritatem nullam peperissent. Ioannes Rodauius de prouidentia, & prædict. quæst. 3. sect. 2. num. 77. Refugium esse fugientium à vi difficultatis. Sed quoniam verba hæc in duplicem, verbis tenus, sensum, æque difficultatibus propositis euacuandis inuicem, singulatiuam à nobis consuetudinem, explicare contendunt. Monco interim eadem distinctione & sensu (si duplex esset) vtroque æque commodè fatales Ethnicos prædeterminatores Lutheranos, & Caluinistas vti posse, vt præter eorum testimonia data quæst. 3. ex vtriusque sensus explicatione ab aduersariis data, moxque subiicienda clarescit. Primus (qui me nunc vicius eius distinctionis sensus esse potest) videtur aduersarij est in sensu composito præfinitionis consensus requisitæ ad operandum, siue quando ea posita est, non posse voluntatem dissentire, siue non consentire: sed solum in sensu diuino voluntatis à præfinitione ipsam non consentire, aut dissentire posse, eamque potentiam in sensu diuino à præfinitione ad saluandam libertatem voluntatis, & arbitrij satis esse: ita Bannez. 1. part. quæst. 23. art. 3. dub. vltim. ante §. Ad motum, & art. 5. dub. 1. ad 7. Lauelli Cabecudo tom. 1. in 3. part. quæst. 52. art. 5. quæst. sua 2. conclus. 6. §. Ad 1. & quæst. 62. art. 5. quæst. sua 2. conclus. 3. §. Ad quintum. Ledesma de auxil. art. 10. §. Tertia solutio. Aluarez 9. de auxil. d. 94 num. 2. & lib. 2. responsion. cap. 1. num. 30. Sed certe si, vt voluntas nostra absolute possit omittere consensus, vel dissentium ponere, diuina à præfinitione consensus, requisita essentialiter ad ipsum apponendum, esse debeat: ergo ea posita præfinitione impossibile est ponere dissentium, vel consensus præfinitionem omittente: ergo neque posito eo requisito ad operandum consensus cum operari, vel non operari absolute potest, vt in primo syllogismo assuuebamus: ac proinde neque causa, seu potentia libera est. Secundo eodem sensu diuino aquæ feruentis à calore potest frigidificare lignum viride, siue eius materia prima ignis: agnis materia frigidificare, & sic de reliquis naturalibus agentibus: quare, cum in hoc sensu diuino in eis saluatur posse non operari quæ operantur, agentia naturalia omnia libera agentia erunt. Tertio & Christi humanitas contra Thomistas hocce erit absolute peccabilis, &

libera ad peccandum: quia in sensu diuino ab vnione hypostatica poterit peccare. Ratio autem, cur hæc admittenda non fiat, est quarta huius sensus distinctionis impugnatio: quia potentia causæ in sensu diuino à forma, seu aliquo, quod supponitur esse in illa vel, cum illa, est potentia solum conditionata causæ illius, scilicet, si diuidatur à forma, seu illo, quod supponitur esse, non autem potentia absoluta illius causæ: ac proinde non est potentia quæ est, sed quæ esset, si præfinitio auferretur.

4. Cum autem præfinitione semel posita eam pro duratione, in qua posita est, non solum humanitas, sed & diuinitas auferri repugnet: ac insuper eam poni à libertate voluntatis nullatenus per aduersarios pendat: sit planè sensum illum diuinum nullatenus voluntatis potestati subiicere: quare neque illi adesse, mediatam adhuc, ad omissionem consensus præfinitio, vel ad oppositum dissentium potestatem: vnde nullo etiam sensu Concilij Tridentini, Senonensis, & Pontificum Urbani VIII. Innocentij X. & Alexandri VII. definitiones verificari, ea solutione sensus diuini, & compositi ita explicata vltimè posse, neque nostris argumentis satisfieri, scilicet posito auxilio efficaci, quo quis de facto conuertitur, Deumque vocantem sequitur: ac proinde Dei de eius conuersione, & consensu voluntati, & electioni resistere, dissentire, Deumque vocantem, & eligentem abicere absolute posse. Idcirco hanc eius solutionis sensus compositi, & diuini explicationem esse Caluinianam, & Hæreticorum, nec posse cum eis definitionibus Tridentini consistere ait Magist. Petrus de Herrera Dominicanus, Primarius Theologiæ apud Salmanticensis Professor Episcopus demum Tudenis Manuscripto de auxil. dictato Salmantice anno 1650. eam vero eius distinctiones explicationem à nostris impostam suis Dominicanis conuerteretur, eius verba recitat Paulus Leonardus 2. part. responsion. sect. 2. num. 9. & quoad primum de insufficientia eius ita explicat distinctionis, ad saluandas Tridentini definitiones consentit Cabrera tom. 2. in part. quæst. 18. art. 4. d. 8. num. 313. Inde tamen in Dominicanos prædeterminatores præfinitores, (quibus quo ad præfinitiones, & prædeterminationes consensus) inuoluitur. Audiendos non esse, qui admittentes physicas prædeterminationes affirmant voluntatem ex vi concursus, seu auxilij efficaci ita promoueri, vt illos supposito non posse non elicere actum: iuxta quem sensum recte errorem in fide à nostris appellari, aut ob aduersas omnino Concilij Tridentini definitiones memoratas. Facitur ergo prædeterminatores aliquot ita potentiam ad omissionem consensus, seu dissentium in sensu solum diuino voluntatis à præfinitione admittisse: quare nulla in eo nostrorum impolitura est, vt aiebat Herrera: forte, quia citatos Dominicanos locis datis num. 6. vel non attente legit, vel attentius distulauit: Sicuti & Ledesma de auxil. art. 12. §. In hac difficultate. Nauaretus vero tom. 2. Controuers. 2.1. §. 18. tit. Libertatis voluntatis, maiore ingenuitate ita explicatam à quibusdam suis eam distinctionem facitur: imò & §. 3. eo sensu illam admittit dicens, supposito promouitione Dei necesse est, quod voluntas operetur actum, ad quem promouet, & non potest contingere, quod voluntas non operetur. Et Franciscus Dauila de auxil. cap. 19. Ex ipsamet motionis diuina natura fit, vt voluntas non vellet: quod ipsum est impotentia omittendi volitionem in sensu composito præfinitionis ad illam. Et quod magis mireris Cabrera ipse, qui erroris ita explicatam solutionem insinuat tom. 3. in 3. p. q. 62. n. 5. sine eo solum sensu diuino potentiam ad omittendum consensus admittit, & in sensu composito præfinitionis (seu quod idem est) auxiliij de se efficaci potentiam omittendi omnino voluntati negat his verbis: Posito auxilio prauo in sensu composito necessario operatur voluntas: & non potest non operari.

5. Sed quoniam eius distinctionis sensum, seu explicationem primam adeo iam Thomistæ præfati, & Recentiores reliqui reiecerant, vt à suis distam negent, & nolint sensum eiusdem distinctionis alterum, siue explicationem secundam proferamus, & in aperto examine mus: eam his explicat Herrera vbi proxime: Admittimus hanc distinctionem, & necessitatem in sensu composito in hoc sensu: quod posito in voluntate auxilio efficaciter prædeterminante possumus illi resistere, & dissentire, vt dixit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 4. Et eo posito possumus non operari: non tamen

TEGA
A pari
VIA

simul sint in voluntate auxiliium collatum, verbi gratia, pro actu charitatis, & omisso talis actus, vel odium Dei. Ita etiam Alvarez 9. de auxil. d. 92. conclus. 2. num. 6. d. 94. num. 2. §. Igitur quando, & 2. responsion. cap. 1. num. 26. (vbi id à nullo Catholico negari posse ait, & alio sensu falso Thomista imponi, & cap. 4. num. 9. fuorum, scilicet, qui id negant, imò, & sui immemor. Siquidem citata d. 94. num. 2. & 2. responsion. cap. 1. citato num. 30. primam eius distinctionis explicationem amplectitur, vt num. 3. dicebamus: Et quidem in hoc secundo sensu eius distinctionis quiescunt Cabrera tom. 2. in 3. part. quæst. 18. art. 4. d. 2. §. 10. num. 364. Zumel tom. 1. variat. d. 5. in Appendice §. ad 3. Iosephus à sancta Maria, tract. Thomist. de libero arbit. in communi q. 4. art. 6. §. Dico 7. & 9. Supponendum 7. Nazar. tom. 1. in 1. part. quæst. 2. art. 4. Controvers. 2. Ad argumenta septimæ conclusionis, §. Secundo respondeo. Gregor. Martin. tom. 1. in 1.2. quæst. 10. art. 4. dub. 1. conclus. 2. ad 1. Argum. Theologus Discalceatus Carmelitus, & Ioann. à S. Thom. Martinez de Prado, & vno verbo iam è suis reliqui, quibus ad respondendum in forma familiares termini ad hunc sensum solutioni applicandum sunt: voluntatem posita præfinitione consensu illum nihilominus omittere posse si multate potentia non tamen potentia si multate omissionis, seu dissensu cum præfinitione. Idque exemplis nonnullis inferius adducendis, & refutandis explicant amplius, & confirmant: & possent quidem verbis Aristotelis, & Scoti, apud Guilielmum Estium in 1. d. 38. §. 8. init. vbi & ipse ex Scoto, tract. de rer. princ. quæst. 4. art. 2. sect. 5. num. 38. ait: Et istum modum (sensus diuisi & compositi.) Tradit. Arist. Elenchor. cap. 3. vbi dicit: Quod ista propositio, sedentem ambulare est possibile, est multiplex: quia potest esse diuisa: vt, si possibile determinet ly ambulare, secundum se, & absolute, vt separatam ab actu sedendi: & sic in sensu diuiso est vera sub hoc sensu: qui vere sedet habet potentiam, vt aliquando ambulet: vel potest esse composita, vt ly possibile determinet actum ambulandi, vt coniuñctum actui sedendi: & sic est falsa: quia sensus est: aliquis habet potentiam, vt sedendo, vel, dum sedet, ambulet. Quibus asserit potentiam ambulandi in eo, qui sedet, considerato actu ambulandi secundum se, & non, vt coniuncto cum actu sedendi: ac proinde, & in voluntate, cuius consensus verè præfinitus est, veram potentiam ad consensus omissionem, posita præfinitione per ipsos admitti: & si ad omissionem, vel dissensum apponendum præfinitio debeat abesse, & Scotus aiebant, vt poneretur ambulatorio: quia æque incommingibiles sunt omisso consensus cum huius præfinitione, acque cum sessione deambulatorio.

6. Contra tamen est: quia sessio est actus secundus potentia absolute deambulatoria: ab ea ex libero imperio voluntatis libere posita: ac proindeque, & porit absolute pro eo & pro instantibus reliquis à positione ambulationis cum sessione pugnantis impedire, quia potentiam ambulandi non compiet pro priori causalitatis, si curi nec sessio potentiam absolutam sedendi: quare, & hac posita manet potentia absoluta deambulandi; atque absque præfinitione potentia ex parte actus primi completa, & absoluta potentia omittendi consensum, vel ponendi dissensum non est: quæ iuxta hos Decre. to opposito debet compleri, ad quorum neutrum pro eo signo à Deo obtinendum, & habendum vlla est in voluntate potestas. Vnde rursus arguitur: quia pro eo signo, quo adest extremum impossibile cum alio nequit esse per Aristotelem, & Scotum potentia, seu potestas adhuc aliud in sensu composito cum illo, solumque in sensu diuiso ab illo absoluta ad oppositum potestas esse potest, vt aperte vterque docet, & de se patet, ac statim demonstrabitur: argui per vos præfinitio consensus, & est extremum impossibile cum eius omissione, & dissensu: ergo pro signo actus primi, seu causæ (quod est signum vnicum potentia, seu, pro quo verificanda potentia necessario est) in sensu composito præfinitionis consensus potentia ad eius omissionem, vel dissensum nullatenus esse in voluntate potest: quare iuxta Aristotelis, & Scoti doctrinam solum po-

test: ni aduersarij admittant cum Suarezistis nostris (quod mordicus negant) esse eius præfinitionis positum, vel impedimentum in libera potestate voluntatis: de quo controuertit. 4. Ex quo patet quo iure citatus Estius. Ex Mag. Lorca 1. 2. tom. 1. d. 2. 1. conclus. 1. §. Secundo qualiter dixerit. Sensus compositus idem est, ac posito, & applicato auxilio; diuisus autem est considerando voluntatem absolute, & sine auxilio. Non autem huc actu, vt explicatione hac secunda eius distinctionis contendi- tur. Sin autem præfinitionis Thomistice natura, & causalitate consensum antecedentis positio à notitæ voluntatis exercitio libero penderet, vt scientia conditionata, ex qua auxilium, cui consentimus, de facto tribuitur, & quæ subinde consensum antecedit, (& vt Soan- stæ volunt præfinitio per scientiam mediam regulata,) secundus hic sensus distinctionis locum, & veritatem haberet. Siquidem, vt dixi, in voluntate pro natura priori ad negationem præfinitionis antecedens de facto potestas absoluta fuisset, & antecedens eius positionem: quæ eius positione pro natura posteriori destrui non potest: quare, & etiam posita potestas omittendi consensum præfinitum in sensu diuiso à præfinitione persisteret: quia eam diuidendi à voluntate, ac subinde apponendi consensus omissionem ipsi repugnantem, esset in voluntate absoluta potestas, quæ sola est vera potentia non operandi in sensu diuiso.

7. Sic ergo contra Thomistas concludo, Potentia non operandi diuiso potest ex parte antecedentis, & causæ aliquo impossibili cum negatione operationis, est potestas diuidendi illud antecedens impossibile cum negatione operationis: sed nulla est pro vilo signo potestas diuidendi præfinitionem antecedentem operationis in voluntate: ergo pro nullo signo est in voluntate potentia ad negationem operationis præfinitæ in sensu diuiso, præfinitione Thomistica posita. Consequenter est legitima celarent, vel si particulariter assumamus Minorem, in sensu Minor est aduersariorum doctrina dicentium præfinitiones nostrarum actionum nullatenus à notitæ libertatis via dependere. Maior conceditur etiam à Cabrera, Aulla, & aliis: quare, cum consequentiam negant alio, quam rationibus agendum est. Aluaræ tamen opuscul. de origine flagitiorum cap. 32. num. 7. & Ioann. à S. Thom. 1. part. d. 10. art. 6. negant maiorem: quia alias vera esset Petri de Riuo propositio, quod ex impossibilitate per necessarium consequentiam sequitur, hoc est impossibile, & necessarium, damnata à Sixto IV. annum circiter 1475. verum & ea propositio certissima est, & alia longe ab ea, quæ damnata in Riua fuit, vt ostendimus quæst. 4. in Louanensi Academia. Quare, & maior illa syllogismi nostri certissima, & ab Aristotele nuper tradita, cum potentiam in sensu diuiso ad actum oppositum, & in compositum ei, qui positus est, in eo solum actu admittit, qui libere, ac deperdenter à libertate nostra positus est, vt sessio. Secundo demonstratur ab absurdo, quia alias aqua calida, cum calidior adest, haberet potestatem in sensu diuiso non calefaciendi, & frigefaciendi: quare, & libere iuxta aduersarios calefaceret, & sic de reliquis naturalibus agentibus, ad potestatem in sensu diuiso ad impossibile cum eo, quod adest, potestas libera hoc impediendi: ac proinde eius in sui positione ab vili notitæ libertatis dependere requiratur, & ad ipsum diuidendum facultas in nobis, & que vt huius, & similibus argumentorum robur non datur, habendum præ oculis est: aliud longe esse non posse, non operari, ac posse non operari: & si enim ex alterutra negatio operationis procedat, ex primo tamen procedit ex impotentia non operandique causis naturalibus adest ex secundo autem ex potentia non operandi, quæ simul cum potentia operandi in causis libris esse debet, & impotentia non operandi contradicere: quare neque esse in illis vlatenus potest, nisi pro natura priori eius impotentia positionem auferre, & impedire, ne esset absolute, causa & potentia libera potuerit, vt diximus: ac proinde potentia pro aliquo natura priori eius impotentiam non operandi à se abiciendi habuerit: alit voluntas pro nullo fi- gno priori natura habuit potentiam absolutam impediendi necessitate operandi, & impotentiam non operandi, quam se cum præfinitio requirit de voluntate. Siquidem nec impedire potuit, nec præfinitio poneretur, cum eius positio à potestate voluntatis independens opera aduersa-

nos sit: ergo nulla, posita præfinitione, adhuc in sensu di-
nisi potentia non consentiendi: sed sola impotentia non
consentiendi in voluntate est: quare nec libera ad con-
sentiendum potestas est.

8. Viget in communi etiam aduersariorum sententia
de impossibilitate gratiæ: cum peccator si Deus alicui
revelat esse in gratia in hoc instanti nullam habet poten-
tiam ad dissentiendum revelationi actu existenti: ergo
præfinitione posita nulla est potentia ad omissionem con-
sensus præfiniti. Probatur maior: quia dissensus revelatio-
ni de existentia gratiæ pro hoc instanti peccator est, quod
impossibile est cum gratia pro eodem instanti, quam
essentialiter supponit revelatio pro hoc instanti: quare
nequit esse potentia ad dissentiendum revelationi pro eo
instanti, nisi sit potentia ad coniungendum peccatum
cum gratia, quæ est potentia pure chimerica, & impossi-
bilis, consequentia est manifestata, quia ideo nulla est po-
tentia ad eiusmodi dissensum revelationi præfatiæ: quia
dissensus dicit coniunctionem cum gratia, repugnantem,
& ex alia parte revelatio independenter ab vii libertatis
iustitius circa consensum, & dissensum posita est. Quare
in potestate voluntatis, cuiusque potentia ad consentiendum,
ad dissentiendum revelationi nullatenus fuit revelatio-
nem tollere, aut impedire, ne fuerit: sed per vos nulla
est potestas ad coniungendum omissionem consensum, siue
cum hoc, siue cum eius præfinitione, quia coniungi cum
alterutro omissionem consensum repugnat: tollereque
præfinitionem, aut impedire in potestate voluntatis con-
sensus, siue potentia voluntatis ad consensum, non est:
ergo nec in sensu composito, nec diuiso potentia vlla
ad omissionem consensum præfiniti cum præfinitione
impossibilem est. Quare nulla potentia, adhuc in
sensu diuiso, adest voluntati ad omissionem consensum,
cum huius adest præfinitio. Nec satis est gratiam reuelatam
infulam esse dependentem à negatione peccati, & li-
bertate ad peccandum alio peccato, quod revelatio-
nem non supponit: tum, quia id de positione præfinitio-
nis communiter non asserunt Thomistæ: quare iuxta
communem eorum sententiam argumentum de infusione
gratiæ reuelatæ independenter ab vii nostræ libertatis
ad vllum peccatum procedit: in quo nullus est elusioni
æquiuocationis omnino locus. Tum denique, quia etsi ea
potentia ad aliud peccatum à dissensu revelationis gra-
tiæ ad hanc essentialiter suppositæ infusione antecedens
admittitur in voluntate, similiterque potentia libera ad
alia opera, dependet à quibus à Deo habeatur præfinitio
consensus, verandem Thomistæ nonnulli, non tam à
semipelagianismo, quem nobis vult affigere, quam à suis
principibus alieni, committuntur tamen potentiam pro-
ximam ad omissionem consensum posita eius præfinitione
non elidunt, ut in sequentibus plane videbimus. Ac de-
tunc independenter ab omni vii libertatis nostræ circa
actum peccaminosum gratiam infundi nobis à Deo
posse, ac reuerari circa dubium est: quo in casu nulla esset,
nec mediata, ad dissentiendum revelationi potestas, vo-
luntatis, nec in assentiendo libertas.

9. Adde: vitio beata non relinquere per hocce liberta-
tem, dum adest, in sensu adhuc diuiso, ad non amandum
Deum, vel peccandum, quia cum ea componi nequit ea-
rentia amoris Dei super omnia, aut peccatum, neque eius
positio pendet à libertate Beati: at omissionem consensum præ-
finiti componi cum eius præfinitione nequit huiusque
positio à libertate voluntatis nullatenus pendet: ergo
nulla est, adhuc in sensu diuiso ad omissionem consensum
potentia, posita præfinitione. Nec satis est visionem non
esse separabilem ex se, & natura sua à Beato, sicut separa-
bilis est, & defectibilis præfinitio, ac prædeterminatio
non est, sed separabilis, & defectibilis pro duratione se-
quenti, etsi ratione status beati & voluntate libera Dei
æternetur, sicut pro reliquis omnibus instantibus extendi
potest præfinitio. Secundo è positione visionis in hoc
instanti independenter à nostra libertate, cuiusque incom-
petentia cum omissione amoris Dei super omnia, in-
feruntur impotentia diuisendi visionem Dei, & apponendi
pro eo instanti: ad hoc autem, ut pro eo instanti sit ea im-
potentia in sensu diuiso, vel non sit, nihil refert, ut natura
sua vel aliter duratura sit visio duratione sequenti: quid-
quid enim de hoc sit habetur in eo instanti, in quo ponitur
Christoph. de Ortega, de Deo vno, Tom. 1.

amor Dei super omnia, & pro quo futura est potentia ad
eius omissionem, ut liber sit, in potentia omittendi diui-
dendo, siue auferendo visionem: & similiter de potentia,
vel impotentia diuisendi præfinitionem consensum, & ap-
ponendi eius omissionem, ut necessarius consensus sit, vel
potentia omittendi illum, ut sit liber, qui pro ea duratione,
qua in eo eliciendo voluntas exercetur esse debet. Quod
enim pro sequenti diuisi natura sua, vel ex accidenti pos-
sit, vel non possit, vel alterutro modo diuidatur, vel non
diuidatur potentia, aut impotentia voluntatis ad diuiden-
dum, necessitatem, aut libertatem voluntatis priori dura-
tione exercendam constituere, iuuare non potest, ut
de se patet: etsi posset iuuare altera ad potentiam, altera
ad impotentiam in sensu diuiso pro duratione sequenti,
quo permanere natura sua, vel aliunde, aut non perman-
surunt. Tercio nec pro sequenti duratione (necum
pro ea, qua, visionem, aut præfinitionem posita, voluntatis li-
bertas, aut necessitas in consensu præfinito, vel amore exer-
cetur natura sua vel aliunde alterutram diuidi, & separari,
vel auferri oportere) ad potentiam, siue impotentiam eas
diuisendi, aut auferendi potest conferre: dummodo præ-
finitionis, aut visionis positio, vel ablatio pro sequenti du-
ratione à potestate voluntatis non pendeat, ut non pen-
dere præfinitionis positionem aduersarij aiunt. Primo quia,
si in eius potestate, & libertate non est visionem, aut præ-
finitionem, ponere, nihil profecto potestatis eius, & liber-
tatis refert, quod de se, & natura sua, vel aliunde, omnino
tamen independenter à potestate voluntatis separabilis,
vel inseparabilis sit, separatur separaturque, vel non sepa-
retur, quia in ideo, quod de se, naturaque sua inseparabile, &
indivisibile est, pro quavis duratione semel positum auferre
potentiam diuisendi illum, seu in sensu diuiso: quia, cum
de se, & natura sua inseparabile sit potestati voluntatis nõ
subiacet, quod diuidatur, ac separatur. Quarto, quod ab-
solute inseparabile est sensum diuisum, ac subinde poten-
tiam voluntatis ad illud facit impossibilem. Quinto, quia,
etsi ignorantia inuincibilis, seu inaduerentia rationis se-
parabilis ex se sit, tamen quia illa separare, & auferre non
est in potestate voluntatis sensus diuisus illius potestati
voluntatis non subditur: ergo, nihil ad id confert, quod
separabile de se sit, vel non sit id quod diuidendum est, ut
oppositum apponatur. Sed solum quod illud diuidere, &
auferre potestati voluntatis subiacet. Quare nihil discrim-
en hoc inter visionem, & præfinitionem suam tentari ab
Aluare 2. respons. c. 4. n. 20. ipsi, & suis præstat. Cum igitur,
& his exemplis, & rationibus euidens sit posita præfinitione
consensus non habere potestatem absolutam ad ponendam
omissionem eius, vel dissensum, coniunctum cum præfinitio-
ne, ut aduersarij fateantur, nec disiunctum à præfinitione,
cum hanc nequeat, nequiterque pro vilo priori nature
distingere, & tollere, seu impedire, sed eam distingere non
sua, sed solius sit diuinæ potestatis: sit plane, nullam esse in
sensu adhuc diuiso secundo potestatem ad omissionem
consensus, cuius præfinitio adest: siquidem nulla esse ad
omissionem apponendam, nisi vel coniunctam, vel diuisam
à præfinitione posita excogitari potestas queat. Vnde ea
solum potentia ad omittendum voluntati restat, qua possit
omittere, si aliunde, quam à sua potestate, & facultate præ-
finitio abest, quæ solum est conditionata, ac non absoluta
potentia, & quam prima eius distinctionis explicatio iam
Thomisticis inuisa, concedit.

10. A ratione rursus demonstratur, quia potentia ad
quemvis actum, vel eius omissionem, aut contrarium debet
esse pro signo, & priori causæ ad actum, & eius oppositum,
siue contrariæ, siue contradictoriæ: siquidem potentia cau-
satiua, cuiusvis generis sit, suum actum debet natura, &
causalitate præcedere: atqui posita præfinitione (quæ
per vos ex parte actus primi, & causæ necessario, & essen-
tialiter ad consensum, atque ab illius libera positione om-
nino independenter requiritur) nequit esse pro eo signo
priori nature, & causalitatis potentia absoluta ad opposi-
tum actus siue contrariæ, siue contradictoriæ: ergo posita
præfinitione, siue in sensu composito illius nequit esse abso-
luta potentia ad oppositum siue contrariæ, siue contradi-
ctione actui præfinito, sed solum conditionata, si abest, vel
abesset præfinitio (quod nostræ potestatis per vos non est)
quæ est potentia omittendi, vel ponendi actum contra-
rium præfinito in sensu diuiso præfinitione primo sensu
iam aduersariis inuiso. Minor probatur: quia posita
præfinitione ponitur ex parte causæ, seu actus primi ad

consensum omnino independentem à libero exercitio voluntatis aliquid, & essentialiter requisitum ad illum, & ei essentia sua connexum, & determinatum ad conjunctionem, & coexistentiam cum illo, ac subinde essentia sua repugnans cum illius opposito, siue contrarie, siue contradictorie: sed cum hoc pugnat pro eo signo priori natura, & causalitatis potentia absoluta, siue absolute talis ad oppositum contrarie, vel contradictorie actui praefinito (siquidem cum determinatione, & necessitate actus, & repugnancia oppositi pro aliquo signo pugnat contradictorie non repugnancia oppositi pro eodem signo, quam necessitatio potentia absoluta ad oppositum pro eo signo essentialiter claudit, vel concernit) ergo posita praefinitio consensus nequit esse in sensu composito illius potentia absoluta, siue absolute talis pro signo priori natura, & causalitatis ad oppositum actui praefinito. Sola ergo potentia conditionata, si absit praefinitio, in sensu scilicet diuiso, iuxta explicationem primam iam ab aduersariis fastiditam, ac saluandae libertati voluntatis, & causae libertatis inuitem, in voluntate ad oppositum actus praefinito posita eius praefinitio esse potest. Quod argumentum constans apud S. Thom. semper fuit in 3. ethicor. c. 3. lect. 7. litt. l. q. 24. De verit. art. 1. Sed contra. Et ad 4 q. 6. de malo art. vn. ad med. 1. 2 q. 1. art. 3. 4. 5. & 6. dicentem: consilium, & electionem non esse de re nobis impossibili, aut quae ex necessitate sit; quia, inquit, quod possibile est non esse, non necesse est esse. Est autem possibile non eligere, vel eligere: quia potest homo velle, & non velle agere, & non agere: quae & sapius docet, vt vidimus q. 5. cert. 2. & num. 2. arguens ex necessitate causae ad operandum vnum impotentiam eius ad oppositum, & negationem proinde contingentiae, & libertatis ipsius, vt fiat, vel non fiat, quare cum necessitate causae ad operandum vnum, quam praefinitio aduersariorum assertit pugnare potentiam ad illius oppositum in sensu composito illius.

11. Denique hic locum non habet euasio illa, quae pro physica determinatione tentat ab aliquibus aduersariis: solet: nimirum eam non complere principium activum consensus, vt partialem virtutem illius, sed esse conditionem ad agendum, quae ex parte actus primi non se tenet. Etenim praefinitio non potest non ex parte actus primi se tenere, cum praedeterminationem (ad quodcumque ea signum expedit, etiam comitans, & non antecedens) actui natura, & causalitate antecedit. Secundo conditio ad agendum, ex verbis ipsis, ad actionem ex parte actus primi, & causae se tenet: quare cum hoc de conditione ad agendum negatur contradictoria dicuntur, & ex terminis ipsis pugnantia. Tercio, vox praedeterminationis, aut praefinitionis eandem dicit antecedentiam naturae ad consensus. Quarto, cum iuxta Aristotelem recitatum cert. 2. n. 1. tam praefinitio, quam praedeterminatio consensus essentialiter eius omissionem, ac dissensus positionem impediatur, potentia ad oppositum consensus positus requisitis ad operandum in horum sententia absolute non erit (si praefinitio requisitum quid iuxta aduersariorum doctrinam sit) sed solum conditionate, si illa absit, siue in sensu diuiso iuxta primam eius distinctionis explicationem: quia eiusmodi praefinitio consensus voluntati nostrae impedimentum omissionis, & dissensus voluntatis nostrae est: quare, & eius remotio absoluta ad absolutam potentiam omittendi, & dissentendi requiritur: quae cum positione praefinitionis siue in sensu composito illius contradictione pugnat: quia & erit, & non erit praefinitio, & quidem potentiam ad omissionem actus praefinito, siue eius contrarium stare non posse, nisi & secundum hanc distinctionis eius explicationem de potentia ad actum oppositum, & omissionem praefinito inanem prorsus esse faceret, ingenue Aluarez posuit dum ab absurdo communem positionem reiciendam tentauit. Etenim 12. de auxil. d. 115. n. 1. ex ea definitione absurdum inferat nobis relatum cert. 1. n. 3. his verbis: quoniam inde sequeretur, vt compositio fieret inter antecedente praerequisita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, seu actum ipsum contrarium: & consequenter, quod omnia praerequisita etiam ex parte Dei ad operandum talem actum particulariorem, & carentiam eiusdem actus, seu actus contrarius possint esse, aut aliquando sint simul &c. Alti, si possibile sit potentia ad omissionem actus, seu actum contrarium

praefinito posita praefinitione, siue in sensu composito praefinitionis requisitae ad operandum consensus, & in coniungibilis cum eius omissionem id nullatenus inferatur, vt patet: ergo inferatur ex Aluarez, quia censet repugnare potentiam ad omissionem actus praefinito in sensu composito praefinitionis requisitae ad actum, & in coniungibilis cum omissionem actus, vt haecenus contra ipsum, & Allectas contendebamus.

CERTAMEN IV.

Vterior potentiae assignata ad omissionem posita praefinitione impugnatio.

1. Sed hoc ipsum apertius ostendamus consutatione Potentiae ad omissionem actus praefinito, quam in sensu etiam explicatus aduersarij designant. Ait enim, vt vidimus q. 3. cert. 2. n. 11. in sensu etiam composito praefinitionis consensus ipsam praedeterminationem, & necessitatem esse potentiam ad eius omissionem, & dissensus: quia praefinitio non destruit voluntatem, quae de se potentia ad omissionem, & dissensus est: nequitque proinde secundum se absolute perseverare (vt posita etiam praefinitione perseverat) quin potentia ad vtrumvis absolute permaneat: maxime si indifferenti cogitatione ad vtrumvis praeventur. Etenim possibilitas effectus passiva absolute, siue absoluta, cui possibilitas actiua, siue potentia absolute causae respondet effectibus, & potentis locum dum se praefinitio sumpsis comperit: quare, et si ex aliqua suppositione eorum naturis superaddita esse, siue repugnant, nec effectus impossibilis absolute, neque infactibilis absolute est, neque possibilitas actiua, seu potentia cause impossibilis, aut actus impossibilis absolute redditur. Ex qua doctrina aiunt necessitatem praefinitionis consensus ad eius omissionem, & dissensus praefinitione consensus voluntati inducitur, non esse necessitatem consensus voluntati inducitur, & simplicem vniuersi, & impotentiam aliorum absolutam, & simplicem libertati causae, & potestati ad oppositum absolute adueniat, sed necessitatem omnimodo ex suppositione, & secundum quid, quae iuxta DD. omnes cum absoluta causae libertate, & potentia ad oppositum amice componitur. Haec omnia sunt, quae ab aduersariis ex prima illa doctrina conuenienter dicuntur, atque in eam tandem recidunt: quam praeter rationem datam exemplis illustrant. Nam subiectum album, etiam cum albedinem habet, siue in sensu composito albedinis potentiam passiuam, siue capacitatem ad habendam nigredinem recipit, neque nigredinis receptione amittit. Sedens item, vel compedatus, quin absolute potentiam habeat ambulandi, seu progressum facultatem dubium non est: neque enim illa, vel compedatus, vel sessione priuatur. Denique quamuis oculi nostri tenebris circumfusi teneantur, ne actu videant: alii eis potentiam visuam absolute ad videndum esse nemo inficiabitur, ita ergo (inquiunt, ex Aluarez iam adueniant omnes) et si praefinitione consensus, ne illum omittat in sensu composito illius voluntas teneatur, quae consentiendi, & non consentiendi, seu dissentendi facultas, & potentia est; alii illum omittit, ac dissentire in sensu etiam composito absolute potest, vt allata exempla, & ratio facta suadent.

2. Sed enim exempla haec ipsa iam pridem à Pelagio adducta, vt potentiam bene volendi sub nostram potestatem non cadere, & tamen actum bonae voluntatis absque gratiae diuinae lumine in nostra omnino potestate esse defendit. Quemadmodum, et si potentiam visuam habere nostrae potestatis non sit, sed Dei, vel se solo, vel cum caulis secundis illam nobis donantis; alii ea nobis semel indita, et si nullum nobis lumen affulgeat, sed in tenebris prorsus simus videre actum nostrae facultatis, & potestatis est: cum adhuc sub tenebris potentia visuosa nostra perseveret. At ita refellit Augustinus lib. de natura & grat. cap. 47. Quomodo in nostra potestate est videre, si velimus: cum etiam salua integritate corporis, oculi nuncque nostrorum, nec volentes videre possimus: si non per